

TRACTATUS V.

DE DEO INCARNATO.

Nota. Dei incarnati nomine intelligitur compositum resultans ex unione naturae divinae cum natura humana, in una Verbi divini persona.

Duplex erit hujus Tractatus dissertatio: 1. Erit de possibilitate, convenientia, necessitate, existentia, causis, et quidditate Incarnationis. 2. Erit de Christo, qui est terminus Incarnationis.

DISSERTATIO I.

De possibilitate, convenientia, necessitate, &c. Incarnationis

CAPUT I.

De possibilitate Incarnationis, et ejusdem convenientia.

Quaeres 1. **U**trum Incarnatio sit possibilis?

Resp. Affirm. 1. Quia peracta est: atqui ab actu ad posse valet consequentia. 2. Quia nullam involvit repugnantiam.

Objicies 1. Repugnat Verbum mutari; atqui non potest uniri naturae humanae in unitatem personae, quin mutetur; ergo. *Resp. Nego min.*

Prob. min. Verbum non potest uniri naturae humanae, quin recipiat novam formam, videlicet, naturam humanam; sed qui recipit novam formam mutatur; ergo.

Resp. Dist. maj. Quin recipiat novam formam tanquam terminum, qui illam formam ultimo compleat ac perficiat, *conc.* tanquam subjectum quod ab illa forma perficiatur, *nego maj.* et sic ad minorem. Itaque Verbum per Incarnationem non recipit in se humanitatem, et consequenter non est subjectum ab illa perfectibile, sed est terminus illius intrinsecus; quatenus, seipsum humanitati communicando, illam perficit, ac ultimo complet; subindeque non mutatur.

Inst. Verbum per incarnationem, de non homine fit homo intrinsece; ergo mutatur.

Resp. Dist. ant. De non homine fit homo intrinsece, per assumptionem humanitatis, solanque illius terminationem, *conc.* per sui conversionem in humanitatem, *nego ant.* proindeque in Incarnatione nulla facta est mutatio in Verbo divino.

Objicies 2. Inter unabilia debet esse quaedam proportio: atqui inter Verbum infinitum, et naturam humanam finitam nulla est proportio; ergo.

Resp. Dist. maj. Debet esse proportio habitudinis, qualis est inter terminans et terminatum, *conc.* proportio entitatis ad entitatem, *nego maj.* Licet ergo inter Verbum et naturam humanam nulla sit proportio entitatis, est tamen proportio habitudinis, quatenus natura humana est terminabilis, et Verbum infinite terminativum.

Objicies 3. Natura humana non potest spoliari sua propria subsistentia; nam subsistentia est ipsamet natura; ergo, &c.

Resp. Nego ant. Ad probationem, *dist.* subsistentia est ipsamet natura, praesuppositiva, *conc.* formaliter, *nego.* Itaque subsistentia praesupponit naturam, sed secundum se et formaliter, nihil aliud est quam negatio

communicabilitatis, seu, unionis substantialis cum alio perfectiore, quae negatio tollitur, cum natura humana personam Verbi in se recipit, quia tunc desinit esse sui juris.

Inst. Persona definitur: *Naturae rationalis individua substantia.* Atqui impossibile est dari aliquam naturam actu existentem, quin sit substantia individua; ergo natura humana non potest spoliari sua propria subsistentia.

Resp. Dist. ant. Quin sit substantia individua, per propriam subsistentiam, vel alienam perfectiorem, *conc.* semper per propriam subsistentiam, *nego min.* Natura ergo humana Verbo divino substantialiter unita, non subsistit subsistentia propria, sed subsistentia Verbi, a quo substantialiter perficitur et completur, in quo sistit, a quo terminatur, et ejus juris tota efficitur.

Quaeres 2. *Utrum possibilitas incarnationis possit ratione demonstrari?*

Resp. Nulla ratione potest demonstrari *positive*.

1. Quia Coloss. 1. dicitur: *Mysterium quod absconditum fuit a saeculis, et generationibus, nunc autem manifestatum est in Sanctis ejus, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae Sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus.* 2. Demonstrari non potest *a priori*, quia non habet causam naturalem; nec *a posteriori*, quia nullus est effectus in rerum natura, qui necessariam habeat cum mysterio connexionem; ergo.

Objicies 1. Intellectus perfectus, v. g. angelicus evidenter *positive*, cognoscit Deum posse efficere quidquid non implicat contradictionem; atqui mysterium incarnationis non implicat contradictionem; ergo.

Resp. Dist. maj. Indeterminate et in genere, *conc.* determinate et in particulari, *neg. maj.* Alias Dei omnipotentiam, in qua sunt omnia possible, comprehenderet, quod est impossibile.

Objicies 2. Angelus naturaliter cognoscere potest,

naturam humanam posse spoliari propria subsistentia; ergo naturaliter cognoscere potest naturam humanam posse subsistere subsistentia verbi.

Resp. 1. Nego ant. 1. Quia nullum est in naturalibus exemplum, quo constat naturam humanam spoliari posse subsistentia sibi propria. 2. Quia natura humana ita determinata est ad propriam subsistentiam, ut absque ea naturaliter non possit existere.

Resp. 2. Nego conseq. Quanquam enim Angelus posset naturaliter cognoscere naturam humanam posse spoliari propria subsistentia, non sequitur tamen, quod possit naturaliter cognoscere eam subsistere subsistentia Verbi: tum quia infinita est, inter naturam humanam et Verbi subsistentiam, dispropertio, tum quia posset judicare Deum conservare illam naturam individuaem absque omni subsistentia; sicut de facto conservat species Eucharisticas absque omni subjecto.

Quaeres 3. *Utrum Incarnatio fuerit conveniens Deo?*

Resp. affirm. Nam per Incarnationem praecipua Dei attributa, nimirum, omnipotentia, sapientia, bonitas, misericordia, et justitia, hominibus manifestantur.

Objicies 1. Summam Dei majestatem dedecet humiliari; atqui per incarnationem Deus sese humiliasset; ergo.

Resp. Dist. maj. Dedecet Deum humiliari, secundum se, *conc.* secundum carnem assumptam, *nego.* Cum itaque divinitas sit omnino invariabilis, secundum se nec exaltationis, nec humiliationis est capax; sed ratione humanitatis sibi unitae potest humiliari ad manifestationem suae magnitudinis.

Objicies 2. Inconveniens est, ut majus bonum ordinetur ad minus; atqui in incarnatione, majus bonum ordinaretur ad minus, nempe Incarnatio Dei ad reparationem generis humani; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Non est conveniens, ut majus bo-

num ordinetur ad minus, tanquam medium ad finem ultimum, *conc.* tanquam causa ad effectum, *nego maj.* Incarnatio itaque ordinatur 1. Ad reparationem generis humani tanquam causa ad effectum quem producit. 2. Ordinatur ad gloriam Dei, tanquam ad finem ultimum; porro gloria Dei, excellentior est vita Christi.

Objicies 3. Innocentem tradere ad supplicium est inconueniens, cum maxima sit iniustitia; atqui in Incarnatione, &c.

Resp. Dist. maj. Si illud supplicium habeat rationem punitionis, *conc.* satisfactionis tantum et reparationis, *nego.* Disparitas est, quod in punitione attendatur peccantis iniquitas; in satisfactione vero pro alio, spectatur satisfaciens charitas: porro in satisfaciendo, unus potest ferre poenam pro alio.

Quaeres 4. *Utrum Incarnatio fuerit conueniens homini redimendo?*

Resp. Fuit conueniens homini, sive spectetur in individuo, quia per Incarnationem factum est, ut hic homo esset Deus, ac proinde caput hominum et Angelorum, supremo patriae cultu colendus. Sive spectetur in specie, quia tota natura humana, per conjunctionem Verbi cum uno ex eius individuis, fuit exaltata ad supremum honorem cognationis et consanguinitatis cum Deo.

Quaeres 5. *Utrum Incarnatio toti universo fuerit conueniens?*

Resp. Affirm. Quia in aliqua sui parte ad fastigium diuinitatis euectum est.

Quaeres 6. *Utrum mysterium Incarnationis fuerit conuenienter impletum in plenitudinem temporis?*

Resp. Affirm. Nam conueniens fuit ut Christus in medio annorum veniret, ut saecula anteriora per fidem suae Incarnationis futurae illuminaret, et sequentia per doctrinam evangelicam illustraret, et per Sacramenta a se instituta sanctificaret.

CAPIT. II.

De necessitate Incarnationis.

Quaeres 1. *Utrum Incarnatio fuerit absolute necessaria?*

Resp. negat. Nam est opus ad extra, circa quod Deus est omnino liber.

Quaeres 2. *Utrum fuerit absolute necessaria ex hypothesi peccati hominis?*

Resp. negat. Nam Deus hominem perditum potuit relinquere in peccato et statu damnationis, sicut relinquit Angelos apostatas.

Quaeres 3. *Utrum Incarnatio fuerit absolute necessaria ex hypothesi, quod Deus hominem lapsum voluerit reparare?*

Resp. negat. Nam Deus potuit hominem multis aliis modis liberare, nempe, vel peccatum gratis condonando, vel imperfectam hominis satisfactionem acceptando: unde D. August. *lib. de Agone Christiano, cap. 12.* merito stultos vocat qui contra sentiunt.

Quaeres 4. *Utrum Incarnatio absolute necessaria fuerit, ex hypothesi quod Deus hominem reparare voluerit per condignam atque rigorosam pro peccato satisfactionem?*

Resp. affirm. Quia nulla creatura pura, quantalibet gratia ornata, condignam, atque rigorosam pro peccato satisfactionem exhibere potest. Nam ut satisfactio sit condigna et rigorosa, debet esse, 1. *Aequivalens;* 2. *Debet fieri ex propriis,* et 3. *Ex aliunde indebitis.* Atqui satisfactio a pura creatura exhibita.

1. *Non est aequivalens gravitati injuriae.* Quia offensa Dei est infinita, saltem extrinsece, et objective; satisfactio vero purae creaturae, est valde finita. Ratio est, quia injuria crescit pro vilitate personae laedentis

et dignitate personae laesae; contra vero satisfactio iisdem capitibus decrescit; ergo offensa personae infinitae illata, est infinita, et satisfactio a pura creatura exhibita, est finita, et quasi nulla prae Deo offenso.

2. *Non est ex propriis*: quia pura creatura satisfacere non potest, nisi ex eis, quae sunt sub Dei dominio.

3. *Non est ex aliunde indebitis*; quia quod Dei proprium est, illi quoque est debitum.

Objicies 1. Homo purus, per actum perfectae contritionis, reddit Deo totum, quod ab ipso per peccatum abstulerat, nempe rationem ultimi finis: ergo condigne satisfacit Deo.

Resp. Nego conseq. Licet enim redditio rei ablatae sufficiat ad restitutionem, satis tamen non est ad condignam satisfactionem pro injuria Deo per peccatum illata, quae, cum sit infinita, non potest condigne reparari, nisi per satisfactionem infinitam, cujus homo purus, quantalibet gratia sit ornatus, non est capax.

Inst. 1. Tantus est valor actus perfectae charitatis, quanta est gravitas injuriae Deo per peccatum illatae; ergo.

Resp. Nego ant. Quia valor actus charitatis moraliter aestimatur ex dignitate personae satisfaciendae, ac proinde est finitus; e contra gravitas offensae Dei moraliter aestimatur ex dignitate personae laesae, a qua consequenter infinitam quamdam gravitatem contrahit.

Inst. 2. Homo purus, per actum charitatis perfectae, posset mereri vitam aeternam de condigno; ergo et condigne satisfacere Deo.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod meritum, cum respiciat mercedem, nullam requirat personarum aequalitatem; bene autem satisfactio, quae, cum a persona offensa specificetur, non potest condigne exhiberi, nisi a persona ejusdem ordinis et dignitatis.

Objicies 2. Peccatum veniale est: quid finitum; ergo pro eo potest homo purus condigne satisfacere.

Resp. Dist. ant. Est quid finitum, enititative, conc. objective et terminative, *nego ant.* Infert enim Deo infinito injuriam, quae condigne compensari per opus finitum non potest.

Inst. Ergo, sublata Incarnatione, homo justus, venialiter peccans, aeternum periret; falsum consequenter ergo.

Resp. Nego illatum. Quia Deus pro peccato veniali non exigit satisfactionem rigorosam, et ideo, in quocumque statu, homo justus potest mereri gratiam, cui annexa est peccati remissio.

CAPUT III.

De existentia Incarnationis.

Quiaeres 1. *Quinam negant Messiam jam advenisse?*

Resp. Negant gentiles, quibus hoc mysterium est stultitia, et Judaei, quibus est scandalum, ait Apostolus, 1. Cor. 1.

Quiaeres 2. *Quomodo demonstratur adversus gentiles Messiam jam advenisse?*

Resp. Demonstratur fidei nostrae motivis creditilitatis, quae in tractatu de fide exponemus, ad quem lectorem remittimus.

Quiaeres 3. *Quomodo demonstratur adversus Judaeos Messiam jam advenisse?*

Resp. Demonstratur innumeris propemodum oraculis Prophetarum, quae in Jesu Nazareno fuerunt impleta, ex quibus duo tantum refero, quae sunt celeberrima.

I. Oraculum. Habetur Genes. 49. ubi Jacob praedicens filiis suis quae eorum posteris eventura erant, sic Judam alloquitur: *Juda, te laudabunt fratres tui. . . . adorabunt te filii patris tui. . . . non auferetur sceptrum*

de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit expectatio gentium.

Haec prophetia manifeste intelligitur de Messia, qui solus per excellentiam dicitur *mittendus*. Exodi 4. *Mitte quem missurus es*, qui solus potest dici, *expectatio gentium*. Gen. 28. *Benedicentur in te, et in semine tuo cunctae tribus terrae*; de quo dicitur quod sit venturus, ubi sceptrum desierit esse in Juda: atqui jamdiu sceptrum seu principatus, seu regimen politicum desiit esse in Juda: nimirum tempore Herodis, qui erat alienigena, Idumaeus scilicet seu ex posteris Esau, ut docet Joseph. lib. 14. *Antiq. Judaicarum*, cap. 2. et quo regnante, natus est Jesus Nazareus, in quo impleta sunt omnia, quae de Messia praedicta sunt a prophetis; ergo, &c.

Objicies 1. Particula *donec*, in Jacob vaticinio, non significat cessationem regiae dignitatis in Juda, sed ejusdem continuationem, ita ut sensus sit: *Postquam venerit Messias, qui sceptrum tribui Judae restituet, nunquam deinceps auferetur*; ergo nondum venit Messias.

Resp. Nego ant. Absque ullo enim, vel levissimo fundamento, particula *donec*, vertitur in particulam *postquam*, absque ullo Scripturarum exemplo, in quibus particula *donec*, cessationem rei naturaliter significat; sic Genes. 26. de Isaac dicitur: *Ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus effectus est*: tunc enim desiit succrescere.

Objicies 2. Vaticinium Jacob non fuit impletum in Jesu Nazareno; nam 1. Herodes non erat alienigena, cum dicat Nicolaus Damascenus *Herodem genus duxisse a primoribus Judaeorum, qui in Judaeam venerant e Babilonia*. . . . 2. Sceptrum desiit in Juda sexcentis circiter annis ante Christi nativitatem, euando scilicet Nabuchodonosor, vastata Judaea, destructa Jerusalem, et incenso templo, Judaeos cum

eorum rege Sedecia captivos transtulit Babyloniam. . . .

3. Post captivitatem Babylonicam, Machabaei, qui erant ex tribu Levi, tribui Juda praefuerunt per 400. circiter annos ante adventum Jesu Nazareni.

Resp. Nego ant. . . . Ad 1. *nego ant.* Nam Herodes fuit Idumaeus: ergo alienigena, nec audiendus est Nicolaus Damasc. qui hoc scripsit ex adulatione, ut inde gratiam Herodis sibi conciliaret.

Ad 2. *nego ant.* Nam durante captivitate Babylonica, rex Judaeorum erat *Joachim* de tribu Juda, quem in ipsa captivitate, ad solium regni exaltavit *Evilmerodach*, rex successor Nabuchodonosoris, 4. *Reg. c. ult.* post mortem regis Joachim, *Zorobabel*, ex tribu Juda et regio sanguine oriundus, recepit legislativam potestatem, et ducis nomen; non ergo penitus ablatum est sceptrum de Juda, neque dux de femore ejus in captivitate Babylonica, cujus tamen utriusque potestatis, regiae et ducalis, ablatio, erat adventus Messiae certum indicium, in Jacob vaticinio indicatum.

Ad 3. *dist. ant.* Machabaei praefuerunt tribui Juda, auctoritate ab illa tribu accepta, *conc.* auctoritate propria ab illa tribu independente, *nego ant.* Itaque tempore Machabaeorum, suprema potestas semper mansit penes tribum Juda, quae summos sacerdotes de tribu Levi, et Concilium *Sanhedrin* eligebat, ut, suo nomine et secundum suas leges, rempublicam administrarent. Sic hodie apud Polonos viget regia potestas, licet sceptrum gerant principes externi, quia ab illa gente in reges assumuntur.

II. Oraculum ducitur ex cap. 9. Danielis, ubi Angelus Gabriel Daniele deprecantem pro libertate populi sui, consolatur, his verbis: *Septuaginta hebdomadae abbreviate sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, deleatur iniquitas, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum*. Certum est

evidens est ista dici de vero Messia; atqui hebdomades 70. intra quas Arcánchelus Gabriel annuntiat venturum esse Messiam, jamdiu elapsae sunt; nam hebdomada in Sacra Scriptura sumitur tantum duobus modis, 1. pro septem diebus; 2. pro septem annis; atqui sive septuaginta hebdomades sumantur pro hebdomadibus dierum; sive sumantur pro hebdomadibus annorum (ut facto sumi debent) jam diu praeterierunt; nam 70. hebdomades dierum conficiunt dies 490. et 70. hebdomades annorum conficiunt annos 490. Hoc porro spatium a multis jam saeculis elapsum est; ergo Messias jam diu venit.

Obijcies. Non potest assignari tempus, quo 70. hebdomades sint enumerandae; ergo ex prophetia Danielis non potest colligi, saltem certo Messiam promissum jam advenisse.

Resp. Dato antecedente, (quod tamen falsum est, quia juxta fere omnes Chronologos hodiernos, 70. hebdomades ducunt initium ab anno 20. Artaxerxis Longimani, qui eo anno Nehemiae fecit facultatem iterum aedificandi Jerusalem, 2. *Esdrae*, 2.) *nego conseq.* Nam etsi manifestum non esset, a quo praecise tempore enumerandae forent 70. hebdomades, tamen adhuc esset evidens elapsam esse ultimam, in cujus medio Messias praenuntiatur morti tradendus; nam desinere debuit ante cessationem sacrificii veteris; atqui sacrificium illud jamdiu desiit; in uno enim Jerosolymorum templo, juxta legis Mosaicae praescriptum, sacrificia offerri poterant; ergo, cum a mille septingentis annis, et amplius, Jerosolymorum templum dirutum fuerit, sacrificia apud Judaeos omnino desierunt. *Consule* Tom. I. *dissert.* 4. ubi duo allata vaticinia, et plura alia accuratius exponuntur.

Quaeres 4. Utrum Jesus Nazareus, sit Messias qui venit?

Resp. affirm. Quia omnes prophetiae de Messiae edi-

tae, in Jesu Nazareno fuerunt impletae, ut citato loco Tom. I. demonstravimus.

CAPUT IV.

De causis Incarnationis.

Quaeres 1. Quenam sit causa efficiens incarnationis?

Resp. Est tota Trinitas; nam est opus ad extra; sed opera ad extra, sunt opera totius Trinitatis, cum sint opera omnipotentiae tribus personis communia; ergo, &c.

Quaeres 2. Quenam sit causa finalis Incarnationis?

Resp. Est liberatio hominis a peccato, ejusque cum Deo reconciliatio, ut fides docet, Joan. 3. *Misit Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum.* Matth. 18. *Venit Filius hominis, salvare quod perierat;* Conc. Nicaenum 1. sic definit: *Qui propter nos homines, et propter nostram salutem, descendit de coelis, &c.* Hinc excluditur error Pelagianorum, qui docuerunt Christum datum esse hominibus ut exemplum, Doctorem, et Legislatorem, non vero ut Redemptorem proprie.

Quaeres 3. Utrum Christus venerit, tum propter peccatum originale, tum propter peccata actualia?

Resp. affirm. Idque est de fide, juxta illud 1. Joan. 1. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Praecipue tamen venit propter peccatum originale, quia totum genus humanum infecit.

Quaeres 4. Utrum, si homo non peccasset, Verbum, vi praesentis decreti, fuisset incarnatum, saltem in carne impassibili, ut Scotistae fingunt?

Resp. negative. Nam. 1. Nullibi aut Scriptura, aut traditio asserunt, quod Verbum fuisset incarnatum, si homo non peccasset; imo quoties Scriptura de motivo Incarnationis loquitur, non aliud assignant, quam peccatum delendum, Joan. 3. *Non misit Deus Filium suum*

ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum...
 2. Patres expresse docent, Christum, homine non peccante, non fuisse venturum: *Si non haberet caro salvari*, inquit D. Irenaeus, lib. 5. adversus haereses, cap. 4. *nequaquam Verbum Dei caro factum esset*. Origenes, Hom. 24. in Numeros: *Si non fuisset peccatum... mansisset*, Christus, hoc quod in principio erat, Deus Verbum. Et D. Aug. Serm. 8. de verbis Apostoli: *Si homo non perisset, Filius hominis non venisset*.

Objicies 1. Deus voluit Messiae futuritionem, antequam decerneret hominis futuritionem, juxta illud Prov. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret in principio*; ergo.

Resp. Nego ant. Ea enim Prov. verba intelliguntur de Christo, non ut est homo, sed ut est Verbum Patris; hoc constat, quia ibidem de seipso dicit: *Cum eo, Deo, eram cuncta componens*: quod de solo Verbo aeterno dici potest.

Objicies 2. Christus, Coloss. 1. dicitur, *Primogenitus omnis creaturae*; ergo fuit futurus ante omnem creaturam.

Resp. Dist. ant. Ut Deus, *conc.* nam addit: *Omnia per ipsum et in ipso creata sunt*; ut homo, *subdist.* prioritate honoris et dignitatis, *conc.* prioritate temporis et intentionis, *nego ant.* cum D. Hieronymo in hunc locum dicente: *Primogenitus, non quod Deus illum ante omnem creaturam producere constituerit sed quod illi creaturam omnem subjecerit*.

Objicies 3. Christus est caput Adami innocentis, imo et Angelorum, Coloss. 2. *Est caput omnis principatus et potestatis*; ergo futurus fuit Adamo non peccante.

Resp. Dist. ant. Est caput Adami innocentis et Angelorum, dignitate et excellentia, *conc.* influxu, *nego ant.* Gratia enim, quae primis parentibus ante lapsum, et Angelis sanctis concessa est, erat donum Dei creatoris, non Christi redemptoris.

Quaeres 5. *Utrum humanitas Christi meruerit suam cum Verbo divino unionem?*

Resp. negative: Quia Christi humanitas nunquam fuit sine unione hypostatica; ergo illam non meruit; alias effectus esset prior sua causa.

Quaeres 6. *Utrum veteres Patriarchae meruerint Incarnationem secundum substantiam?*

Resp. negative: Nam Incarnatio, secundum substantiam sumpta, praesupponitur cuilibet merito: de fide enim est nullum in statu naturae lapsae meritum esse, nisi ex meritis Dei incarnati; ergo, &c.

Objicies. D. Thom. in 3. q. 3. a. 1. ait: *Acceleratio Incarnationis potius cadere sub merito de condigno, Incarnatio autem sub merito de congruo*; ergo.

Resp. Nego conseq. Nam D. Thom. correxit hanc sententiam in sua Summa, dicens: *Gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium: unde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quia est principium gratiae*.

Quaeres 7. *Utrum veteres Patriarchae aliquas Incarnationis circumstantias meruerint?*

Resp. 1. Nullas meruerunt de condigno; quia nulla ipsis a Deo facta est talis promissio.

Resp. 2. Non meruerunt circumstantias Incarnationis secundum praesens decretum necessarias; quia Incarnatio ab eis non abstrahit, ut acta decreta est.

Resp. 3. Meruerunt de congruo aliquas circumstantias, secundum praesens decretum, non necessarias: sic Abraham meruit, ut Christus de sua stirpe nasceretur, Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo*, id est, in Christo, *omnes gentes terrae, quia obedisti voci meae*. Sic Daniel suis precibus meruit accelerationem adventus Messiae, Daniel 9.

Quaeres 8. *Utrum B. Virgo meruerit divinam maternitatem?*

Resp. 1. Non meruit de condigno. Quia Deum inter

et B. Virginem nullum intercessit pactum de danda illi divina maternitate.

Resp. 2. Meruit de congruo divinam maternitatem.

1. Quia talis est sensus Ecclesiae, quae sic congratulatur B. Virgini, *quia quem meruisti portare, resurrexit, &c.* 2. Quia ita sentiunt Patres. D. Hieron. Epist. 17. ad Eustochium. *Propono tibi B. Virginem, quae tantae exitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur.* D. August. lib. de nat. et grat. cap. 36: *Concipere meruit et parere eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Objicies 1. Gratiae singulares, quibus cumulata fuit B. Virgo, ei concessae sunt intuitu maternitatis divinae; ergo, cum illae gratiae ei omnino gratis concessae fuerint, gratuita quoque debuit esse maternitas divina.

Resp. Dist. ant. Intuitu maternitatis decernendae propter merita, ad quae disponderetur per illas gratias, *conc.* intuitu maternitatis jam decretae absolute, *nego ant.* Equidem B. Virgo, a primo instanti suae conceptionis, eximiiis gratis et privilegiis fuit praeventa, quibus correspondens, non solum fuit condigne disposita, ut esset Mater Dei, sed etiam meruit de congruo divinam illi maternitatem.

Objicies 2. Omnia merita B. Virginis fundata fuere in hoc numero Christo, ex hac numero matre genito; ergo merita B. Virginis non praecesserunt maternitatem, quae consequenter non cecidit sub meritum.

Resp. Dist. ant. Fundata fuere in Christo in hac numero matre genito, *specificative*, id est, qui genitus est hac matre, *conc.* ex hac numero matre genito *re duplicative*, id est, quatenus ex hac matre genitus est, *nego ant.* Nam licet nulla B. Virginis merita fuerint, nisi ex illo, qui est filius hujus matris, tamen non fuerunt ex illo, quatenus fuit filius hujus matris. Quod enim Christus ex hac numero matre natus sit, non fuit circumstantia necessaria ad merendum; prius enim Christus cogi-

tatur nasciturus ex aliqua matre, quam ex hac numero matre.

CAPUT V.

De quidditate Incarnationis.

A genus 1. De persona assumente, et natura a Verbo assumpta; 2. De utriusque unione hypostatica.

QUESTIO I.

De persona assumente et natura assumpta.

Quaeres 1. Quenam persona divina assumpsit naturam humanam?

Resp. Sola persona Filii: nam Joan. 1. de persona Filii dicitur: *Verbum caro factum est.* Quod nullibi de Patre aut Spiritu Sancto dicitur. Unde Christus se minorem Patre dicit; scilicet, ratione humanitatis assumptae.

Hinc excluditur error Sabellianorum, qui negantes realem personarum distinctionem, docebant Verbum non potuisse incarnari, quin Pater et Spiritus Sanctus incarnarentur: unde *Patripassiani* dicti sunt.

Objicies. Una persona non potest videri intuitive absque altera; ergo non incarnari.

Resp. Nego consequ. Disparitas est, quod essentia divina, quae est primum visionis intuitivae objectum, identificetur tribus personis, et consequenter non possit sine illis videri intuitive; e contra tres personae a se invicem realiter distinguuntur, ac proinde terminatio humanitatis, quae est effectus relativus, potest prodire ab una persona, absque eo quod prodeat ab aliis.

Quaeres 2. Utrum Verbum assumpserit verum et reale corpus?

Resp. affirm. Nam 1. Scripturae verum Corpus Chri-